

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 39. Frustranus Legati conatus pro concilianda pace.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](#)

**Sæcul XVI.** haud consultum ratus, Parisios versus  
A.C. 1590. iter prosequebatur: ut autem Chanval-  
 ionius Regis copias distineret, hocque  
 pacto Parisiensibus ad Urbis suæ propu-  
 gnationem amplum temporis spatiū  
 concederet, Aumontio Marescallo, Se-  
 nonenses cives nullo ferme negotio subi-  
 gi posse, significabat, quinimo Guberna-  
 tor jamjam deditioñis articulos propo-  
 nebat. Ergo Aumontius Marescallus  
 eo revertitur, ipsusque Rex unacum  
 exercitu suo huic urbi appropinquat:  
 cum vero se turpiter delusum cerneret,  
 nonnisi unico tentato assultu sese rece-  
 pit, Parisinam Urbem cincturus.

§. XXXIX.

*Frustraneus Legati conatus pro con-  
 cilianda pace.*

*Davit. l. 11.* Legatus cum omnes hujus Urbis adi-  
*Tauan. l. 98.* tus regio milite obfessos, cunctas  
 que vias ad annonam Urbi inferendam  
 oportunas a Rege interclusas cerne-  
 ret, de induciis cogitare cœperat, ut  
 interea foederati annonam advehere pos-  
 sent: hanc in rem ad Bironium Mare-  
 scallum, qui Provini ad expeditionem  
 a Rege decretam necessaria parabat,  
 datis literis hæc eidem significabat:, ma-  
 „ximi momenti res habeo, quas tibi  
 „communicare debeo, proin te rogo,  
 „ut Marco Antonio Mocenico Cenetensi  
 Episco-

„Episcopo Patritio Veneto, quem ad te  
„missurus sum, idonee caveatur.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

Igitur securitatis literis mox transmis-  
sibus Marcus exeunte Mense Aprili  
Briam-Comitis-Roberti pervenit: ve-  
rum cum hic nil nisi inducias, donec  
Oratoribus Romam, atque in Hispa-  
niam decretis de ipsa pace agi posset,  
obtinere intenderet, Bironius hæc re-  
spondit: „Rex, & Principes, ac prima-  
rii regni proceres, qui circa ipsum sunt,  
„non modo inducias inire, sed etiam  
„de pace agere parati sunt, nilque ma-  
„gis optant, quam ut pacis faciendæ  
„rationes salvo jure ipsius, ac dignitate  
„quamprimum ineantur, cum eas a  
„Principibus exteris exspectari neque  
„tutum, neque sibi, gallicoque nomini  
„honorificum existimet.

Episcopus Bria re infecta discessit,  
haud obscure intelligens, quod Regis  
rebus melior, quam Parisiis vulgaba-  
tur, fortuna adspiraret: porro idem in  
itinere Henrico IV. obviam factus diu  
cum eo conferebat, omni obsequiorum  
genere, ac benevolentiae signis exceptus.

#### §. XL.

#### *Parisienium libellus ad Facultatem Theologicam.*

Interea Henricus IV. omnibus pontibus  
tam Icaunio, quam Sequanæ flumi-  
ni Mem. de  
la Lig.  
pag. 289.  
Thuan. l. 89.

E 5